

NIO, Imperii autem, vna cum iuris publici disciplina, vt et dogmata iuris Canonici MASC O VIO debet. Inter omnes vero felicissimum studiorum suorum promotorem veneratur ILLVSTREM RECHENBERGIVM nostrum. Huius enim indulgentia factum esse, vt in coniuctum et domesticam eius consuetudinem admissus, occasionem nancisceretur solidissima quaeque ex ore ipsius hauriendo, quin eo benevolentiae eiusdem processisse beneficia, vt studiorum eius quoque rationem habuerit, eadem consiliis grauissimis adiuuerit, tentaminibus subinde institutis explorauerit, et praecceptis saluberrimis augere nunquam intermisserit, gratus depraedicat. Praesertim in Iure naturae et gentium, nec non Iure publico penitiora se ab eodem percepisse, et omnia dicturus, parentis loco eundem venerari profitetur. Vniuersum Iuris cursum in hac Alma emensus, sub finem anni MDCC XXXVI. in patriam reuersus, placita Iuris ad factum applicare coepit. Nunc Lipsiam repetiit ad summos in utroque iure honores contendens. Petiit eosdem ab Ordine nostro, praestitisque cum applausu speciminibus solidioris scientiae, decretos obtinuit. Dies conferendis honoribus dictus VII. April, quos tamen praecedent Lectio ad Tit. C. de fundis limitrophis d. VI. eiusdem mensis hora a meridie II. ad III. habenda, nec non dissertatio inauguralis de Finibus Territorii, qua,